



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Defensio Occisiva.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**

tormenta, quia quamvis injuriam irroga-  
verit extorquendo secretum; jus tam ha-  
bet deinde revelandi in tanta necessitate,  
sicut si quis furatus esset Equum, posset eo  
uti inurgenti necessitate, etiam cum inte-  
ritu Equi.

175. **Q**uæritur. An possit aliquis sibi ipsi  
falsum crimen imponere ad vitanda gravia  
tormenta?

Resp. si non superaddatur juramentum,  
esse solum veniale ratione mendacii sibi ipsi  
crimen falsum imponere, ratio est, quia  
homo est suæ famæ dominus, non secus  
ac bonorum fortunæ, adeo ut possit ad sui  
humiliationem propria occulta delicta pa-  
lam facere, tum etiam quia esto non esset  
suæ famæ dominus, ut non est suorum  
membrorum, adhuc potest ad vitam sal-  
vandam famam prodigere, sicut potest bra-  
chium amputare, rectus enim ordo habet,  
ut bona inferioris notæ exponatur pro con-  
servandis majoribus.

### DEFENSIO OCCISIVA.

176. **Q**uæritur. An sit licitum Religio-  
so, vel Clerico occidere Calum-  
niatorem, gravia crimina de se, vel de sua  
Religione spargere minantem, quando alius  
modus defendendi non suppetit?

Resp. Opinio affirmativa ab Alexandro  
VII. expressè damnatur cum prop. 17. ratio  
est quia ne laicis quidem licet interficere  
Calumniatorem, ergo à fortiori non licet  
Religiosis, vel Clericis, qui honoribus  
mundanis nuncium remiserunt, ut vestigiis  
Christi inhæreant, cujus mansuetudinem,  
ac lenitatem debent imitari, præsertim quia

in-

interficiendo Calumniatorem, famam amitterent potius, quam servarent; nunquam proindè licita esse potest calumniatoris occisio, cum suppetant alii modi calumniam declinandi, quam per calumniatoris necem, cum hanc nulli privatæ personæ unquam proximo inferre liceat, nisi servato moderamine inculpate tutelæ; moderamen in hoc consistit, quod major vis non adhibeatur, quam sit necessaria, aut nulla, si alio modo se defendere quis possit, propterea potens se defendere apud judicem, aut minis, vel verbis, non verberet, si verberibus, non mutilet, si mutilatione, non occidat, & si fuga, fugere tenetur, nam si excedat, mortaliter peccat.

177. Quæritur. An liceat occidere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo certò imminet iniqua sententia, si alia via non possit innocens damnum evitare?

Resp. Ex propos. 13. inter damnatas ab Alexandro VII. constat, id non licere, nam est non solum jure positivo, sed etiam jure naturali vetitum, ratio est, quia defensio ista occisiva accusatoris, testium, & Judicis iniqui est immoderata, cum possit facilè damnum imminens declinari, adhibendo alios testes, appellando, reclamando, & quod si non possit aliquando damnum impediri, id est per accidens, tribuendumque proprio infortunio, non secus ac si de Cælo vita, aut propria bona tangantur; non debuit enim natura propter bonum alicuius privati in aliquo raro casu permittere hanc defensionem immoderatam, quæ innumeris cædibus ansam daret, cum quilibet ex passione facile

cile sibi persuaderet accusatorem, testes, ac Judicem inoffensos esse.

178. Quæritur. An damnata sit opinio docens, esse licitum Viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit?

Resp. Esse damnatam ab Innocentio XI. ratio est, quia ut licita sit defensio occisiva, debet constare evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ, sed in defensione occisiva contra calumniatorem non potest constare evidenter de tali moderamine: cum sint alia media ad impediendam calumniam, ut dictum fuit quæst. 176. ergo non potest esse licita.

179. Quæri ur. An vir honoratus percussus a lupa, vel fuste possit licitè occidere, & repercutere gaviter offensorem injuratum, etiam fugientem?

Resp. Esse omninò illicitum, ut constat ex Evangelio, & est expressè cum prædicta propos. 30. damnatum, licitum tamen est alapam impedire cum moderamine justo.

180. Quæritur. In quibus Casibus sit licitum defendere honorem defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Resp. Licitum est tueri honorem ferro, & armis in illis casibus, in quibus honor impetitur factis ignominiosis. Primò; quando maritus utitur defensione occisiva contra aggressorem honoris uxoris suæ, si aliter defendere nequeat, quia v. g. talis aggressor persistit in usu gladii, vel fustis contra maritum, &c. 2. Quando aggressor intentat percussionem ignominiosam

fam fustis, vel arundinis contra virum no-  
bilem, cui, ut impediatur percussio, li-  
citur opponere gladium, quod si vi-  
dens aggressor districtum gladium, suum  
opponat deuo, aut alia arma, iam non est  
solum aggressor honoris, sed etiam vitæ,  
& ideo si non possit inuasus alia via evadere  
periculum mortis de novo imminens, po-  
terit uti defensione occisiva cum iusto  
moderamine. 3. Quando aggressor cona-  
tur deflorare Virginem, illa enim si fu-  
gere non potest, & si proclamatio est il-  
li inutilis, aut ignominiosa, potest su-  
um honorem tueri defensione occisiva,  
in quo casu talis defensio occisiva potest  
contingere, quod fiat propter solum ho-  
norem Virginitatis; & idem est dicen-  
dum de sodomita inuasore pudicitiae con-  
tra virum, qui potest licite se defendere  
ab ea contumelia, defensione occisiva, si  
alia via non possit, nam ea violentia tan-  
ta est, & tam gravis, ut licite possit per  
quodlibet genus violentiæ repelli; prædicti  
enim casus, & alii eiusdem generis admit-  
tendi sunt ab omnibus ex regula: *vim vi re-  
pellere licet.*

181. Quæritur. An liceat defendere se à  
fure conante unum aureum per vim rape-  
re, & si persistat, occidere?

Resp. Si homo, præcipue si sit nobilis,  
portet in manibus rem valoris unius aurei,  
& fur intentat eam rapere de manibus eius,  
potest rem defendere opponendo gladium,  
quod si fur desistit, non licet illum percu-  
tere, si verò fur educat gladium, vel fu-  
stem contra dominum illius rei, iam fur  
non est solum inuasor rei, & honoris, sed  
etiam vitæ, quare dominus rei poterit se  
de-

defendere defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ; hac de re pendente propof. 31. inter damnatas ab Innocentio XI.

182. *Quæritur.* Quantus esse debeat valor, pro cuius conservatione possit quis uti defensione occisiva?

*Resp.* Communissima DD. sententia fert, non posse hominem occidi pro conservatione rei vilis, puta duorum, vel trium, immò nec decem aureorum, quamvis non decernant, quantus debeat esse rei valor, ut possit licitè defensione occisiva custodiri, nam id iudicio viri prudentis decernendum est; ratio cur possint res magni momenti defensione occisiva incolumes servari, est quia sine illis non potest juxta proprium statum vita custodiri; ergo sicut licet vitam defendere, ita etiam bona externa, quæ vitæ sustentationis, & status, honorisque conservationi deserviunt, cum moderamine tamen debito.

183. *Quæritur.* An in aliquo casu necessitatis liceat uti defensione occisiva pro conservatione unius aurei?

*Resp.* Sæpe contingit, quod ratione gravis necessitatis unus aureus æquivalet multis aureis, v. g. si fur intentet auferre ab artifice instrumentum artis, quod valeat unum aureum, vel argenteum, casu, quo non possit invenire aliud instrumentum simile, & adstrictus sit ab opere cessare, atque ad eò se, & suos sustentare nequeat, in hoc casu non attenditur ad valorem unius aurei, vel argentei, sed ad detrimentum, quod ex ablatione ei resultat, potest ergo artifex uti quacumque defensione cum moderamine.

184. *Quæ-*

184. Quæritur. An sit probabilis opinio asserens, esse licitum defendere occisiva defensione ea bona, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus?

Resp. Esse improbabilem, & damnatam ab Innoc. XI. cum prop. 32. primò: quia non licet occidere hominem propter solam opinionem probabilem, dato, & non concesso, quod ea opinio esset probabilis; 2. quia in hoc casu non est evidentia de moderamine inculpatæ tutelæ, cum in Republica sint destinata media ad defendendum jura civium, & quia legibus humanis interdicitur, quod homines privatim defendant jura ad aliqua bona, & jus publicum prævalet juri privato: *Perpende etiam propos. 33. ab eodem Pontifice damnatam.*

## D E N U N C I A T I O.

185. **Q**Uæritur. An ille cui evidenter constat, Petrum esse hæreticum, teneatur denunciare, etiamsi probare non possit?

Resp. Affirmativè, nam oppositum est expressè ab Alexandro VII. cum propof. 5. damnatum, ratio est, quia hæresis est malum gravissimum simul, & contagiosum, quod opponitur bono fidei, & publicæ salutis, etenim ex *Apost. 2. ad Timoth.* ut cancer serpit, & sua lue alios inficit, ergo specialissima illi medela est adhibenda, atque adeò etiam si probari non possit hæreticus, adhuc est denunciandus, si de ejus hæresi constet, ad hoc (ut accedentibus aliundè aliis notitiis) possit Judex de illo  
in.